

Cur mulieribus primò Christus apparuerit?

9. Id quod ex harmoniâ Evangelistarum constat, quæ hanc & sequentem tertiam apparitionem præcessisse eam docet, quæ discipulis Emaunticis contigit, licet hanc Marcus apparitioni Magdalena factæ statim subjungat. *Quâ verò de causâ mulieribus primùm Christus apparuerit, non malè queritur h. l.* Et est ea ex aliis, quas adducere solent Theologi, potissimum lapsus generis humani gravitas. Ut enim prima mulier à serpente decepta virum pellexit ad eandem culpam: Sic contra piæ mulierculæ ab Angelis edoctæ viros invitant ad credulitatem. Itaque, ne sexus hic ob transfusam in viros mortem perpetuò malè audiret, undè mortis occasio primum prodierat, indè & lætissimus vitæ redditæ nuncius proficiscitur. *Quâ de causa D. Augustinus Serm. 35. de Resurr. Domini, ita scribit: Benigna dispensatio Domini nostri Jesu Christi egit, ut primus illum sexus fœmineus resurrexisse nunciaret; quia per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo: siquidem Virgo Christum pepererat, & fœmina resurrexi, e nunciabat. Per fœminam enim mors, per fœminam vita. Et alibi idem: Resurrectio Christi, inquit, viris per fœminam nunciata est, ut contrariâ arte vinceretur serpens. Quia enim ille mortem primo homini per fœminam nunciavit; ita & viris vita per fœminam nunciata est.*

Quâ occasione Christus Petro apparuerit?

§. 11. Apparuit (3) Simoni Petro; quod colligimus partim ex Lucâ c. 24, 34. Vbi discipuli, & qui apud eos congregati erant nuncium audientes de apparitione Christi euntibus in Emaus factâ, fatentur, *verè resurrexisse Dominum; & Simoni apparuisse.* Partim ex Paulo, idem testante 1. Cor. 15, 5. Occasio autem, quâ Christus Petro apparuit, fortassis ea, quam Lucas suppeditat dicto cap. ver. 12. Ubi Petrum solum ad sepulchrum excurrisse, & visis linteolis positis, de factis cum mirantem abiisse scribit. Aut, si mavis secundum Johannem cap. 20, 3. & seq. hæc esse potest: quando à sepulchro, ad quod cum socio suo unâ excurrerat, solus reversus, aliamque fortè viam ingressus est; ut vel hæc, vel illâ ratione ipsi Christus apparuisse intelligatur. Prior tamen magis arridet; Distincti enim in locis allegatis abitus Petri describuntur, quorum primus à Johanne traditur, h. m. ut ad relationem Magdalena Petro & alteri discipulo factam uterque surrexerit, & ad

ad